



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

22. De osse fracto ingenuorum à servo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

XXII. *De offe fracto ingenuorum à seruo.*

Quòd si seruus homini Franco aut Ripuario os fregit, dominus ejus triginta sex solidis culpabilis judicetur. Si autem regio aut ecclesiastico homini hoc fecerit, bis novem solidis culpabilis judicetur.

XXIII. *De iclu seruorum in seruo.*

Quòd si seruus seruum icu uno vel duobus seu tribus percusserit, nihil est. Sed tamen, propter pacis studium, tremissem, id est, quatuor denarios, componat.

XXIV. *De sanguinis effusione seruorum à seruo.*

Si autem seruus seruo sanguinis effusionem fecerit, tertio dimidio solido culpabilis judicetur.

XXV. *De offe fracto seruorum à seruo.*

Si os ei fregit, quinque solidis culpabilis judicetur.

XXVI. *De debilitatibus seruorum.*

Quòd si oculum, auriculam, nasum, manum, pedem excusserit, bis novem solidis dominus ejus culpabilis judicetur.

XXVII. *De castratione seruorum.*

Si autem eum castraverit, triginta sex solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret.

XXVIII. *De interfecione seruorum à seruo.*

Si autem seruus seruum interfecerit, dominus ejus triginta sex solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret quòd seruus ejus hoc non fecisset.

XXIX. *De furto seruorum.*

Quòd si seruus furtum fecerit, dominus ejus triginta sex solidis culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturam restituat.

XXX. *De interpellatione seruorum.*

I. Quòd si quis in iudicio pro seruo interpellatus fuerit, si seruus talis non fuerit unde dominus ejus de fiducia securus esse possit, dominus ejus in iudicio pro eo interrogatus respondeat & sine tangano loquatur, & dicat: *Ego ignoro utrum seruus meus culpabilis an innocens de hoc extiterit. Propterea cum secundam legem Ripuariam super quatuordecim noctes ad ignem represento.* Et sic de ejus presentia cum festuca fidem faciat. Quòd si seruus in ignem manum miserit, & læsam tulerit, dominus ejus, sicut lex continet, de furto serui culpabilis judicetur.

II. Quòd si seruus, quando dominus interpellatus fuerit, infra ducatum fuga lapsus fuerit, supra quatuordecim noctes aut ipsum representent, aut pro eo faciat rationem. Quòd si postquam eum ad ig-

Tom. I.

nem adplicuerit, fuga lapsus fuerit, ad placitum veniens cum tribus testibus in haraho conjuret quòd seruus ille, quem ad ignem representare debuerat, extra ejus voluntatem fuga lapsus sit, & sic denuo placitus ei concedatur, ut super quatuordecim seu super quadraginta noctes eum representare studeat, aut ipse in rem respondeat.

XXXI. *De homine ingenuo representando.*

I. Quòd si homo ingenuus in obsequio alterius inculpatus fuerit, ipse qui eum post se eodem tempore retinuit, in presentia iudicis similiter, sicut superius comprehensum est, representare studeat, aut in rem respondere.

II. Quòd si eum non representaverit, tale damnum incurrat quale ille sustinere debuerat qui in ejus obsequio est inculpatus.

III. Hoc autem constituimus, ut infra pagum Ripuarium tam Franci, Burgundiones, Alamanni, seu de quacunque natione commoratus fuerit, in iudicio interpellatus, sicut lex loci continet ubi natus fuerit, sic respondeat.

IV. Quòd si damnatus fuerit, secundum legem propriam, non secundum Ripuariam, damnum sustineat.

V. Quòd si in provincia Ripuaria iuratores invenire non potuerit, ad ignem seu ad sortem se excusare studeat.

XXXII. *De manire.*

I. Si quis legibus ad mallum manitus fuerit, & non venerit, si eum funnis non detenerit, quindecim solidis culpabilis judicetur. Ille verò qui alium manit, & ipse non venit, similiter quindecim solidis culpabilis judicetur.

II. Si autem manitus fuerit ad secundum mallum, aut ad tertium, seu ad quartum, vel quintum, usque ad sextum venire distulerit, pro unoquoque mallo, si ille qui eum manit, cum tribus Rachinburgiis in haraho conjuraverit quòd legitime manitus fuerit, quindecim solidis culpabilis judicetur.

III. Quòd si ad septimum mallum non venerit, tunc ille qui eum manit, ante Comitum cum septem Rachinburgiis in haraho jurare debet quòd eum ad strudem legitimam admallatum habet, & sic iudex fidealis ad domum illius accedere debet, & ei tribuere qui eum interpellavit, hoc est, septem Rachinburgiis, unicuique quindecim.

LEX RI-
PARIORUM.

Lib. 117.
Capitular.
c. 45. & lib.
VI. c. 111.